sequetur illos cum unusquisque receperit secundum
suum laborem. Quia enim post opus mercedis sequitur
opus ipsum opus electorum eos comitari dicitur.
Ubi autem finis annectatur operis dei tandem huius
libri sit finis

Explicit liber quartus :

Incipit quintus

Et vidi et ecce nubes candida et super
nubem sedentem similem filio hominis
subauditur vidi. Nubes candida caro
et anima nostri redemptoris intelligitur
qua non fuscavit macula peccati. De
hac nube per prophetam dicitur Ecce dominus ascendet
super nubem levem et ingredietur egyptum. Super
nubem quippe levem ascendit et in egyptum venit
quando carnem nostre mortalitatis accepit et
in hoc mundo natus apparuit. Super nubem vidit
sedentem quia ipsius divinitatis potentia pre-
sidet humanitati sue. Vel certe per nubem candidam
ecclesia intelligitur fonte baptismatis a peccatis
mundata per fidem enim christi et baptismum illius mundatur
ab omnibus peccatis unde illud: fide mundans
corda eorum. Huic nubi presidet ipse suaque pro-
tectione custodit velut gallina pullos suos protegit
et gubernat. Quare autem hic non tam
simpliciter homo sed similis filio hominis dicatur
supradictum est quia videlicet surgens a mortuis

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_298/0330